



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Argvmentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

ARGVMENTVM.

NOVA contentio de mansione. Archiepiscopus Lancianensis ad Pontificem missus à Legatis, eiusque mandata. Grauissimarum petitionum volumen missum à Cæsare ad suos Oratores, Concilio deferendum; & executio retardata, ipso demum Legati operâ consentiente. Studia à Vicecomite Tridenti impensa, & nuntij ab eo Romam scripti de rerum statu. Mantuanus à Pontifice postulat abeundi veniam. Repulsa. Iterata postulatio. Officia Cesaris ne is discedat. Illi à Pontifice satisfit. Bauarus Orator exceptus. Mutuae contestationes de prærogatiua inter ipsum & Venetum. Quæ idem petierit à Concilio. Difficultas ac dilatio de articulis supra Calicis concessione. Dissensiones Patrum de dogmatibus que minores Theologi comprobarant. Reditus Lancianensis, & sensus Pontificis ab eo relati. Pontificis litteræ, quibus responsum redditur iis Episcopis, qui communi epistola purgauerant Romæ criminationes sibi illatas. Mandata Vicecomiti tradita; eiusque studia ad conciliandos inter se Mantuanum & Simonettam. Correctiones morum agitatæ, ac statutæ. Suavis animaduersiones super his perpenſæ. Decreta & Canones Fidelis stabilita, ac varia Patrum disputationes de utroque arguento. Nouæ rationes bis objectæ à Sal-

Pars III.

A

merouse

2 HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI Lib.17.Cap.1.

merone & à Torres, pridie futuræ Sessionis. Sententiarum in eadem Sessione varietas, & exitus. Quæ Suavis considerat de illius Decretis, expensa. Mantuanus & Simonetta reconciliati. Philippi Regis litteræ, quibus à postulato ut Continuatio declaratur desistit, & Hispanos Praesules dehortatur, ne caput de mansione vrgeant. Documenta Legatis à Pontifice super eo data. Articuli minoribus Theologis propositi de Missa sacrificio. Opera à Lansaco adhibita, ut Theologi & Episcopi è Gallia mitterentur. Litteræ Reginæ, quibus eos affirmat aduenturos; & prolationem petit, sed non obtinet. Profectio in Galliam Fabri Oratoris, eiusque litteræ ad Reginam. Praferuida Cæsaris postulata, ut Calix concederetur. Difficultates obiectæ, & temperamenta ad res superandas excogitata.

C A P V T P R I M V M.

Generalis cœtus die sexto Iunij, in quo quinque articuli de vñs Eucharistie proponuntur. Noua contentio hic excitata de mansione, & promissio à Mantuano facta ad eam sedandam. Archiepiscopus Lancianensis missus ad Pontificem à Legatis. Petitionum volumen, quod à Cæsare eius Oratores accipiunt, exhibendum Concilio. Huiusc rei executio per Praesides impedita.

1562.
a 6. Junij
1562. in A-
& tis Paleotti,
& Arcis Ro-
manæ, & in
epistola Ja-
drensis, 8. Ju-
nij.

LE G A T I, quod anteà Hispanis spouderant imple-
turi, biduo post Sessionem ad generalem cœtum Pa-
tres aduocarunt, proposueruntque perpendendos à
minoribus Theologis eosdem ipsos articulos, qui in
promptu fuerant ut expenderentur in Concilio Iulij,
cùm repente solutum est. Hi erant quinque, ad vñsum Eucharistie
spectantes.

An ex Diuino prescripto quilibet Christianus teneretur utramque
speciem sumere in Eucharistie Sacramento.

An rationes, quibus Ecclesia Catholica adducta est ad Eucharistiam
præbendam laicis, & etiam Sacerdotibus non celebranib[us] sub sola panis
specie, adeò retinenda essent, ut nullo pacto vñs Calicis ulli esset per-
mittendus.

S. 2.